

vero quæ Archimedes & Dionysiodorus demonstrarunt, Conus habens basim circulum cuius quæ ex centro æqualis extiterit ipsi a b, altitudinē vero ipsi a c, æqualem datæ spheræ par existit. Similiter quoque conus habens basim circulum cuius quæ ex centro ipsi b r, fuerit æqualis altitudo vero r h, æquatur eiusdem spheræ segmento cuius vertex b, fastigiū autem b r. Igitur data spheræ ad sui segmentū cuius vertex b, fastigium autem b r, est sicut d f, ad f e, & dirimenti igitur datæ spheræ segmentū cuius vertex a, fastigiū autem a r, ad eiusdem spheræ segmentū cuius vertex b, culmen autem b r, existit sicut d e, ad e f. Data igitur spheræ plano per r, veniente, atque ad a b, dimetientē recto sub data ipsius d e, ad e f, ratione secatur, quod oportebat efficere.

## IOANNIS VERNERI NUREMBERGEN,

De motu octavæ spheræ tractatus primus, qui triginta quattuor cum theorematibus tū problematibus quæ propositiones libuit appellare consummatur.

### PROPOSITIO PRIMA,



Rium fixorū siderum basilisci qui alio nomine cor leonis dicitur Aristæ & lancis austrinæ ex diligenti eorum inspectione facta prope annos domini consumptos 1514, declinationes ab æquatore numerare. Anno itaque redemptionis nostræ incompleto 1514, die prima decembris idest post meridiem ultimi diei nonembris horis 16, minutis 30, diuersis seu non equatis propensiori quadam inspectione per regulas Ptolemei Nurembergæ consideravi fixum illud sidus quod a græcis basiliscus, a latinis regulus & a neotericis cor leonis dicitur, quando idem sidus meridianū possederat, inueni quoque illud a vertice orizontis remotū gradibus 35, minutis primis 16, fere. Supposita igitur latitudine Nurembergen, gra,

k